

asperitatis et facetiarum, quibus mores utriusque pro-
scindit et de singulorum vitiis quam potest acerbissime
loquitur. Sed enim principium huius offensae fertur a
P. Clodi reatu descendisse. Nam visus est in domo ponti-
ficis maximi C. Caesaris eiusdemque praetoris incestum 5
fecisse cum eius uxore Pompeia [cum] eo tempore, quo
per Vestales virgines et matronas honestissimas in operto
Bonae Deae sacrificium viris omnibus inaccessum fiebat.
Unde elabso tamen Clodio magna invidia percrebruit et
infamia caerimoniarum, ut senatus decernere cogeretur 10
omni diligentia consulum pervestigandum, si quod esset
publicis religionibus inlatum flagitium. Accedebat huc etiam
praeiudicium quoddam C. Caesaris ipsius pontificis, qui
uxorem suam ilico repudiavit. Post quod reus de incesto
factus est P. Clodius accusante L. Lentulo, defendente 15
C. Curione patre. Nam tres illis temporibus Curiones
inlustri nomine extiterunt atque in libris adhuc feruntur:
Curio avus, qui Servium Fulvium incesti reum defendit,
et hic C. Curio pater, qui P. Clodio adfuit, et tertius
ille Curio tribunicius, qui bello civili Pompeiano in Africa 20
periit, cum esset partium Caesaris, oppressus [est] ab
equitibus Iubae regis. Sed hactenus de Curionibus dictum
sit. Multum diuque habitis concertationibus ante iudicium
P. Clodius a turbulenta multitudine, ne causam diceret,
non sine impetu seditionis adiutus est auctore huius con- 25
spirationis Q. Fufio Caleno tribuno pl., cuius mentionem
creberrimam Tullius in Filippicis orationibus facit. Ob-
stinante vero paene universo senatu pro sanctimonia re-
ligionum adversus crimen incesti iudices tamen ad ex-